

от нашего вида тычинками, снабженными зубцом, цветоножками и чашечкой с длинными оттопыренными волосками, более широкими вверху выемчатыми и голыми лепестками, мелкими цветками (чаш. 2 — 3 мм., лепестки 4 мм. дл.), формой плодов, без крыльями семенами и более низкими стеблями.

Петроград. 13. IV. 1923 г.

М. Г. Попов. М. Г. Попов.

НОВЫЕ ВИДЫ Туркестанской флоры.

Florae turkestanicae species novae.

1. **Zollikofferia Korovinii M. Pop.** (sp. nov.) Perennis, glabra, valde glauca. Caulis erectus, a medio vel inferius subdichotome ramosus, ramis firmis subdivaricatis, vel caulis (in speciminibus minutis) simplex. Folia crassiuscula, inferiora lanceolata, basi apiceque attenuata, acuta, margine pinnatilobata, lobis parvis cartilagineo-denticulatis; caulina media sessilia, cordato-amplexicaulia, auriculis lobulatis; superiora valde diminuta, oblonga, vel lineari-oblonga, vel e basi lata ovata subcaudato-acuminata, integra vel dentata. Capitula solitaria ad ramorum apices, erecta, cylindrica. Involucrum saepe basi foliolis cordato-auriculatis parvis suffultum, imbricatum, phyllis oblongis, interioribus lanceolatis margine plus minusve late membranaceis. Flosculi lutei? Antherae basi sagittatae. Styli rami et pars superior pilis tecti. Achenia marginalia lineari-cylindrica, apice vix vel non attenuata, basi excavata, sulcis 5 longitudinalibus tenuibus percursa, inter sulcos tenuiter transverse rugulosa, apice supra annulum callosum flavidum pappum biseriatum ferentia: pappi setae seriei externae numerosae tenues molles flexuosae, seriei internae-longiores rigidi, apice (sub lente valido) scabridi, 5—9. Pili omnes albi. Pappus persistens. Achenia interna marginalibus similia sed multo minus rugulosa (rugulis tantum sub achenii apice conspicuis), vel omnino laevia, glaberrima; eorum pappus marginalium pappo similis.

Dimens.: Caulis 7 — 20 cm. altus. Involucrum 15 — 17 mm. longum. Achenia 8 — 9 mm. longa, $\frac{1}{2}$ mm. crassa. — Syn.: *Reichardia Korovinii* M. Pop.

Species habitu et characteribus multis *Z. resedifoliae* Coss.; *Z. mucronatae* Boiss. et *Z. tenuilobae* Boiss. affinis, acheniis tamen marginalibus tenuissime rugulosis nec pubescentibus diversa.

Hab.: Turkomania: in deserto arenoso Kara-Kum, prope fontem Schink fr. 29. V. 1916 leg. E. Korovin! et prope fontem Kur-Kuju fl. 17. V. 1916 leg. E. Korovin! Buchara in deserto arenoso inter oppida Buchara et Karschi fr. 7. 9. VI. 1916, leg. M. Popov! Prov. Fergana, distr. Kokand: in arenis prope p. Dauduk fl. et fr. 23. VI. 1913 leg. Z. Minkwitz!

Cl. Eug. P. Korovin speciem novam dedicavi.

2. *Sisymbrium subtilissimum* M. Pop. Annuum. Caulis saepissime solitarius, tenuissimus, filiformis, firmulus, erectus, superne vel rarius a basi ramosus, inferne breviter et parce papillari-pubescentis, ceterum cum foliis, pedicellis sepalisque glaber. Folia inferiora pauca, parva, oblonga, obtusa, in petiolum plus minusve longum attenuata, caetera omnia anguste linearia, elongata, obtusa, integerrima. Racemi aphylli: racemus centralis elongatus, pluriflorus, fructifer valde flexuosus, laterales depauperati. Flores minuti, pedicellati. Sepala aequalia, oblonga, margine anguste albo-membranacea. Filamenta libera, edentula, filiformia, staminum lateraliu duplo breviora. Antherae omnes biloculares, ovato-cordatae. Glandulae placentariae nullae; valvariae ad basin filamentorum breviorum utrinque binae, minutae, tuberculiformes. Petala primo anthesi flavida, demum rosea, sepalis subduplo longiora, anguste spathulata, apice subtruncata vel rotundata. Stylus elongatus. Stigma minutum, subbilobum. Siliquae in pedicellis sat longis insidentes, glaberrimae, lineares, rectae; valvae planiusculae, uninerviae; septum tenue, pellucidum, ex cellulis transversis formatum. Semina exalata, uniseriata, funiculis tenuibus liberis longissimis. Embryo notorhizeus.

Facie *Atelantherae perpusillae* Thoms. et Hook. mire simile, sed antheris omnibus bilocularibus, indumento herbae et siliquae omnino diversum. Ob habitum, florum colorem et siliquas compressas in genus *Arabidopsidis* militat, sed pili simplices et septi cellulae transverse nec longitudinaliter directae. Simile quoque *S. minutifloro* Hook. et Thoms. sed foliis omnibus integris nec inferioribus partitis et siliquis distinctum.

Dimens.: Caulis 8 — 17 cm. altus. Sepala 1,5—2 mm. longa. Petala 3,5 mm. longa. Pedicelli fructiferi 7—12 mm. longi. Siliquae 1,7—2,5 cm. longae, 1 mm. latae. Stylus circ. 1 mm. longus.

Hab.: Buchara: in prov. Schachrisjabs prope Ghilan ad declivia lapidosa montium, fl. et fr. 19. V. 1916 leg. M. Popov!

3. *Polygonum hissaricum* M. Pop. Sect. *Aconogonum* Meissn.-Boiss. Fl. or. IV. 1026. E. rhizomate crasso ad collum squamoso multicaule. Caules angulato-striati, erecti, plus minusve flexuosi, crassiusculi, firmi, breviter hirto-pubescentes, simplices. Ochreae brunneae, magnae, extus hirsutae, demum lacerae. Folia magna, breviter petiolata; lamina ovata, basi obrotundata vel cuneata, in petiolum breviter decurrens, apice obtusissima, coriacea, utrinque